

nos et Deus in adiutorium meum etc. ad Completorium, non festinanter, sed graviter, morose, non tamen spatiis interiectis, sed continuo vocis ductu ab Hebdomadario intonentur; cui eodem quoque vocis tono, gravitate, tarditate et continuatione Chorus respondeat.

129. Caeterum observandum, quod verus ac gravis Officii recitandi modus potius exercitio seu praxi acquiratur, quam regulis; ideoque Superiores ac Hebdomadarii caeteris, praesertim iuvenibus, gravitate et dignitate in habitu ac tono vocis praecedant.

PARS SECUNDA

De divino Officio.

CAPUT I.

DE ATTINENTIBUS AD ILLOS, QUI DIVINO OFFICIO
IN CHORO INTERSUNT.

§ I. — *De officio Superioris in Choro.*

130. Primum Superioris officium est curare, ut quae ad Chorum ac cultum divinum spectant, provideantur et ab omnibus digne et decenter peragantur, ita, ut Deus honorificetur, populus, qui laudibus divinis assistit, aedificetur, et Fratres ipsi divino amore inflamentur. Magno ergo zelo huic officio incumbat, et omnes suo exemplo praecedat.

131. Guardianus, qui est domus ac Chori Superior, eam in Choro sedem, velut digniorem perpetuo habet, quae in medio Chori in dextera illius parte sita, legile ex opposito respicit; ex qua omnibus invigilare omniaque in Choro peragenda dirigere possit, et quam nemini unquam cedat, praeterquam Provinciali aut maiori alteri Superiori.

132. Alteram sedem, in sinistra parte Chori, P. Vicarius occupet, qui vices Superioris in ipsius absentia gerat. Ambobus absentibus, dignior Chori has vices facit, quamvis adsint hospites ipso digniores, etiam Prae-lati conventuum aut aliarum Provinciarum.

133. Ipsius Superioris est, signum dare ad tertium vel respective ultimum campanae signum; item signum, ut Communitas genuflexa surgat ad incipiendum divinum Officium. Item, iuxta supra dicta, cuique Religioso sibi subalterno Chorum ingredienti, Communitate iam stante vel sedente etc., vel e Choro egredienti, veniam seu benedictionem concedere.

134. Ad eum spectat incipere orationes quascumque communes, ut v. g. *Veni Creator Spiritus, Sub tuum praesidium, Unica est columba mea, Miserere ad disciplinam, etc.*

135. Ipse in Choro, seu in divino Officio commissos errores corrigat, durante aut expleto Officio pro sua prudentia. Vide num. 34.

136. Ad primas et secundas Vespertas et ad Matutinum in festis Nativitatis Domini, Paschatis, Pentecostes et Ascensionis, ipse Hebdomadarii munere fungatur; item in festis Immaculatae Conceptionis et Assumptionis B. V. Mariae, B. P. N. Francisci, Dedicationis et Titularis Ecclesiae propriae, et in Dedicatione Ecclesiae B. M. Angelorum. His diebus ipse etiam Missam principalem dicat.

137. Hebdomadarii munere fungatur ad Primam in Vigilia Nativitatis Domini, et ad omnia Officia, tam in Choro, quam in Ecclesia, Feria V, VI, et Sabbato sancto maioris Hebdomadae. Ac demum:

138. In Officio in die Commemorationis omnium Defunctorum, omniumque Fratrum defunctorum nostrorum, et sepulturae alicuius Religiosi conventus, aut etiam Superioris maioris.

139. De aliis functionibus, quae similiter ad Superiorem spectant, suis locis dicetur.

§ II. — *De officio Hebdomadarii.*

140. Hebdomadarius per integrum hebdomadam officio suo fungatur, id est a Vesperis Sabbati usque ad Vespertas sequentis Sabbati exclusive. Quilibet Sacerdotum suam hebdomadam habeat iuxta professionis antianitatem.

141. Ipsius est, Missam conventualem celebrare, minores Hostias in Tabernaculo asservatas renovare, Fratres in Missa conventuali communicare, aquam ad aspersionem in die Dominica benedicere, etc. etc. Praecipuum tamen ipsius munus est, dirigere Officium divinum; quapropter ad campanae sonitum, statim Chorum petat, et quae dicenda sunt, diligenter praevideat.

142. Ad ipsum spectat, ante Horas canonicas, excepta Tertia (resp. etiam Sexta vel Nona, si sine interruptione cum aliis Horis dicantur), manuum strepitu signum dare ad inchoandum divinum Officium.

143. Ad Matutinum dicto *Pater, Ave et Credo* secreto, pronuntiat *Domine labia mea aperies*, et responso a Choro *Et os meum etc.*, dicit *Deus in adiutorium meum etc.*, se signans more solito, quod etiam in aliis Horis servet.

144. Post **¶.** et **R.** primi et secundi Nocturni, erectus profert *Pater noster*, eadem voce qua proferenda sunt verba *Et ne nos etc.*¹: quo dicto Absolutionem praemittens, stans et manibus semper iunctis, ante omnem Lectionem dat Acolytho benedictionem.

145. Post **¶.** et **R.** tertii Nocturni, Sacerdos qui a parte ipsius Hebdomadarii immediate sequitur, et qui ipso absente eius vices gerit (Vid. n. 159), dicit *Pater noster..... Et ne nos inducas etc.*, absolutionem ac benedictiones. Hebdomadarius autem sub *Pater noster* ad legile accedit, et modo quo dictum est num. 78, benedictionem petit et Lectiones legit.

146. Ad verba Evangelii, etiam ad nonam Lectionem, si sit Homilia, manus tenet iunctas, non signans se neque librum, ad Lectiones vero hinc inde super legile vel librum porrectas². In fine singularum Lectionum, dicit *Tu autem Domine, miserere nobis*, profunde se inclinans; post ultimam, Altari genuflectit et ad suum locum redit, nisi dicatur nonum Responsorium, tunc non nisi inchoatis Laudibus a legili recedit.

147. Dicto Hymno *Te Deum*, vel ultimo Responsorio absoluto, incipit more solito *Deus in adiutorium* etc. Ipse quoque Capitulum et Orationem seu Orationes, si plures sint, quibus semper *Oremus* praemittit, ac primam tantum et ultimam (si plures fuerint) concludit, clara et intelligibili voce dicit. Postea repetit *Dominus vobiscum*, addit *Benedicamus Domino*, et voce mediocri *Fidelium animae* etc. Post *Pater noster* secreto,

¹ Rubrica Breviarii XXXII, n. 2.

² Caerem. Episc. I. II, c. 5, n. 8.

voce item mediocri subdit **¶.** *Dominus det nobis suam pacem* etc., et illico incipit Antiphonam finalem B. M. V., stans vel genuflexus pro ratione temporis; semper tamen surgit ad Orationem, post quam eadem voce subiungit: *Divinum auxilium* etc.

148. Si Rubricæ Suffragia Sanctorum innuant, tunc post ultimam Orationem, omissa conclusione, incipit immediate *Sancta Maria* etc.; post Orationem pro Pace, Orationes more solito concludit, adiungens *Dominus vobiscum* et reliqua ut n. praecedenti.

149. Si vero dicendae sint Preces, tunc ante Orationem, id est dicta Antiphona post *Benedictus*, flexis genibus dicet *Kyrie eleison*, *Pater noster* totum clara voce, sequentes vero **¶¶.** humiliori voce, et erectus *Dominus vobiscum*, Orationem seu Orationes ut Rubrica praecipit, et reliqua ut supra n. 147.

150. Ad Primam, dicto more solito *Pater*, *Ave*, *Credo* secreto, ac *Deus in adiutorium* etc., et dicta post ultimum Psalmum Antiphona, dicit Capitulum, *Dominus vobiscum* post Responsorium breve, Orationem *Domine Deus omnipotens* etc., iterum *Dominus vobiscum* et *Benedicamus Domino*. Post Martyrologium subdit: *Pretiosa*, *Sancta Maria sine Oremus*, ter *Deus in adiutorium* absque ullo signo Crucis, *Pater noster*, *Et ne nos inducas etc.*; Orationem *Dirigere et sanctificare etc.*; *Dies et actus nostros*, *Adiutorium nostrum* absque signo Crucis, *Benedicite* et *Dominus nos benedicat* etc. sibi Crucis signum efformans. Postea *Pater noster* pro Tertia secreto; si vero Tertia non subsequatur, aut e Choro sit discedendum, subiungit **¶.** *Dominus det nobis*, et reliqua ut supra n. 147.

151. Si ad Primam dicendae sint Preces post R^g. br., Hebdomadarius statim subiungit *Kyrie eleison*, *Pater noster* ac in fine *Et ne nos inducas* etc., *Credo in Deum*, *Carnis resurrectionem* etc., et subsequentes Versiculos Precum, signans se signo Crucis a fronte ad pectus¹. Deinde profunde inclinatus dicit *Confiteor*, et ad verba *vobis fratres et vos fratres* sese convertit ad utramque Chori partem, ad *mea culpa* ter percutiens sibi pectus. Ad *Misereatur tui* respondet *Amen*, erigens se. Dicto post Confessionem Chori *Misereatur vestri* et *Indulgentiam* se signans, subiungit subsequentes Versiculos, addit *Dominus vobiscum* voce aliquantum elata, *Oremus*: *Domine Deus omnipotens*, et reliqua sub n. 150.

152. Ad Tertiam, Sextam et Nonam, Hebdomadarius praemisso *Pater*, *Ave*, *Deus in adiutorium meum* etc. more solito, post Antiphonam in fine tertii Psalmi, dicit Capitulum, et post R^gR^g. br. addit *Dominus vobiscum*, Orationem, iterum *Dominus vobiscum*, *Benedicamus Domino* et voce mediocri *Fidelium animae* etc. Post *Pater noster* secreto, si tunc e Choro sit egrediendum, subdit *¶. Dominus det nobis suam pacem* etc. prout dictum est supra n. 147.

153. Preces feriales, quando dicendae sint, dicuntur post R^gR^g. br. uniuscuiusque harum Horarum, flexis genibus, et humiliiori voce Hebdomadarius dicit *Kyrie eleison*, *Pater noster*, *Et ne nos inducas*, et subsequentes *¶¶.*; deinde surgit et elata voce dicit *Dominus vobiscum*, *Oremus* etc. ut supra n. 150.

154. Ad Vespertas post Superioris signum Hebdomadarius, dicto *Pater* et *Ave*, intonat alta voce: *Deus*

¹ Rubric. Breviarii XV, n. 2.

in *adiutorium* etc. Capitulum, Oratio seu Orationes etc. recitantur prout dictum est ad Laudes, n. 147.

155. Ad Completorium Hebdomadarius, postquam Acolythus dixerit *Iube domne benedicere*, respondet *Noctem quietam* etc.; tunc voce mediocri *Adiutorium nostrum* etc., secreto adiungens *Pater noster*. Facta, ut sub n. 151 dictum est, Confessione, pronuntiat *Converte nos* etc., formans sibi Crucis signum super pectus; tunc *Deus in adiutorium* etc., se signans de more. Post Hymnum dicit Capitulum, et post repetitionem Antiphonae *Salva nos*, subiungit: *Dominus vobiscum*, Orationem, rursum *Dominus vobiscum*, *Benedicamus Domino*, *Benedicat et custodiat nos* etc., se signans ad *Pater et Filius et Spiritus sanctus*; denique inchoat Antiphonam finalem B. M. V. post cuius Orationem voce mediocri subdit: *Divinum auxilium* etc. Deinde dicuntur secreto *Pater*, *Ave* et *Credo*.

156. Quando Preces dicendae sunt post repetitionem Antiphonae *Salva nos*, humili voce subiungit *Kyrie eleison*, *Pater noster*, *Et ne nos inducas* etc., *Credo in Deum*, *Carnis resurrectionem* et subsequentes *¶¶.*, quibus dictis voce aliquantum altiori prosequitur *Dominus vobiscum*, ac reliqua ut sub n. praecedenti.

157. Hebdomadarius apud nos nullum distinctum locum in Choro habet, sed locum tenet iuxta antianitatem religiosam.

158. Quando Superior Officium in Choro peragit, v. g. die Paschatis etc., Chorus dexter est Chorus primus; postea vero reddit ordo ad respectivum Chorum hebdomadae.

159. Si in parte Hebdomadarii omnes Patres desint, Chorus hebdomadae non mutatur, sed Sacerdos alterius

Chori Hebdomadarium antianitate subsequens Chorum mutet et officio Hebdomadarii fungatur.

§ III. — *De officio Acolythorum.*

160. Duo Acolyti ad campanae sonitum sint omnibus sollicitiores, ut ad Chorum convenient, eo quod eorum praecipuum munus est, Rubricas cuique diei congruentes recolere, Calendarium accurate perlegere, omnia quae ad divinum Officium referuntur, maturius parare, quae legenda sunt praevidere et signaculis distinguere, a sedibus et legili pulverem abstergere, etc. etc.

161. Acolythorum munus per duas perdurat hebdomadas, ita tamen, ut qui a primis Vesperis unius Sabbati incipit ut primus, altero Sabbato sit secundus, et vice versa. Succedunt sibi in hoc munere bini Clerici iuxta antianitatem religiosam.

162. Primus Acolythus est, qui stat a parte Hebdomadarii sive primi Chori: hinc, ut singulis hebdomabus mutatur Hebdomadarius et primus Chorus, ita suo loco manentes Acolyti mutant officium.

163. Ipsi immediate stant ad legile dum dicitur Officium, et ibi ad primum Acolythum spectat Psalterii folia paulo ante ultima verba diligenter et opportune vertere, ne Chorus ipsius incuria aut tarditate perturbetur; et ad secundum, noctis tempore lucernarum seu luminum curam gerere, ut illi qui legile circumstant et ipsi Acolyti omni facilitate Psalms, Hymnos et quae legenda sunt, videant. Haec in genere, nunc ad particularia.

164. Ad Superioris signum, simul cum caeteris Clericis, si adsint, osculata terra, surgunt unanimiter a

proprio loco et in medium pergunt, ubi, facta media inclinatione Altari, primo Superiorem et Chorum, deinde semetipos ad invicem facie ad faciem conversi salutant (quod semper agere debent sive pergent ad legile, sive a legili recedant): tunc ad legile accedant et Breviarium ac Psalterium suis locis aperiant.

165. Ad Matutinum Acolythi, dicto *Alleluia vel Laus tibi Domine post Deus in adiutorium*, simul recitant ad legile Invitatorium cum Psalmo *Venite exultemus*. Dum canitur: *venite adoremus et procidamus ante Deum*, omnes genua flectunt in locis suis: sed ipsi Acolyti unicum genu sub finem dumtaxat versiculi; tum assurgunt et prosequuntur: *Hodie si vocem eius etc.* Dum dicunt *Gloria Patri*, non se vertunt neque inclinantur; sed post verba *in saecula saeculorum. Amen*, inclinationem profundam faciunt Altari, quam repetito Invitatorio renovant.

166. Post Hymnum primus Acolythus Antiphonam primam primi Nocturni canit vel legit integrum, si Officium sit duplex: inchoat tantum, si semiduplex vel simplex sit, advertens, ne unicum proferat syllabam, neve sensum absurdum: et expleto primo Psalmi versiculo, Altari se inclinat. Finito Psalmo, Antiphonam integrum repetit, cuiuscumque ritus sit Officium, et immediate inclinatur profunde. Mox secundus Acolythus eadem sua vice peragit ad secundum Psalmum; quod semper per vices agendum est.

167. Quando vero immediate post Antiphonam ab utroque Acolytho dicendus est Versiculus, nec qui dixit Antiphonam nec alter inclinationem faciunt, antequam incipiunt Versiculum, sed eo dicto, ambo profunde inclinantur.

168. Inclinationes porro istiusmodi ab Acolythis semper facienda sunt ordine indicata, post Antiphonas, Versiculos, Responsoria, Versiculos Responsiorum, Responsoria brevia, et post Versiculos, qui Responsoria brevia subsequuntur.

169. Si Psalmus iisdem verbis ac Antiphona incoepit, v. g. *Diligam te*, Acolythus et Chorus prosequantur verbis, quae Antiphonam sequuntur, scilicet: *Domine fortitudo mea: Dominus firmamentum meum, et refugium meum, et liberator meus*, si Officium sit semiduplex; si vero duplex, Acolythus dicat totam Antiphonam, quae si integrum primum versum Psalmi comprehendat, et in cuius fine non sit addendum *Alleluia*, Psalmus a secundo versu incipiatur. Sic e. g. ante primum Psalmum tertii Nocturni in die Dedicationis Ecclesiae recitatur integra Antiphona: *Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei coeli commorabitur*, quae integrum primum versum Psalmi comprehendit, qua dicta ab Acolytha, ipsem et Chorus prosequuntur: *Dicit Domino: Susceptor meus es tu, et refugium meum: Deus meus, sperabo in eum*. Quodsi vero Antiphonae addendum sit *Alleluia*, Psalmus incipiatur a suo primo versu.

170. Dicta ab Hebdomadario absolutione ante Lectiones primi Nocturni, Acolythus primus modo iam notato n. 78 petit benedictionem et legit Lectionem primam: sedente interim altero Acolytha, qui surgit sub fine Lectionis, accedit ad legile, ac facta debita inclinatione, legit aut cantat Responsorium, et primus cum debitibus inclinationibus subiungit Versiculum, et repetit alter partem Responsorii, quae est post asteriscum ad Lectiones singulas; ad tertiam, repetita a

secundo Acolytha parte Responsorii, primus cum inclinatione profunda subdit: *Gloria Patri* etc., surgentibus omnibus a sedibus et se profunde inclinantibus, et secundus Acolythus iterum repetit partem Responsorii.

171. Si Responsorium duos habeat asteriscos, post Versiculum repetenda est ea pars, quae inter asteriscum primum et secundum, et alia, dicto *Gloria Patri*¹.

172. Acolythus secundus, vix expleta ultima Responsorii parte, absque ulla inclinatione dicit vel inchoat iuxta ritum Officii Antiphonam primam secundi Nocturni, eodem modo quo dictum est n. 166. Deinde vicissim prosequuntur ut supra, legente secundo Acolytha Lectiones secundi Nocturni, et Responsoria primo.

173. In tertio Nocturno, cum Lectiones leguntur ab Hebdomadario, primus Acolythus legit Responsoria, reliqua Hebdomadarius ipse, vel alter Acolythus: quod fieri solet in solemnitatibus. Si dicendus non sit Hymnus *Te Deum*, tunc locum habet nonum Responsorium, et ad ipsum dicitur *Gloria Patri*, quod de caetero dicitur ad octavum.

174. Ad Laudes, cum Chorus ad *Deus in adiutorium* complete responderit, primus Acolythus primam Antiphonam dicit integrum, aut illam solummodo intonat, prout ritus festi postulat, ac post Psalmum integrum Antiphonam repetit. Postea secundus Acolythus eodem modo secundam Antiphonam dicit ac repetit, et sic vicissim aliae Antiphonae ab Acolythis repetuntur.

¹ S. Rit. C. 7 Decemb. 1844, in Mechlinien. ad 7.

175. Hymno absoluto, Acolythi dicunt simul Versiculum, quod pariter fit in Commemorationibus, si locum habeant. In festis primae classis, in nonnullis Provinciis Antiphona ad *Benedictus* et ad *Magnificat* a duobus Acolythis simul dicitur, Antiphonae vero Commemorationum a solo primo Acolytho dicuntur¹.

176. Ad Primam, post Hymnum, primus Acolythus inchoat Antiphonam, ac Psalmis absolutis, Antiphonam repetit; dictoque Capitulo ab Hebdomadario, Acolythi dicunt simul Responsorium breve, Choro repetente. Ante *¶. Pretiosa*, prior Acolythus legit Martyrologium eo modo et ordine ut infra dicetur num. 216 et seq. Post Orationem *Dirigere et sanctificare*, inclinatus petit benedictionem dicens: *Iube domne benedicere*, qua obtenta erectus recitat Lectionem brevem ad absolutionem Capituli.

177. Ad Tertiam, Sextam et Nonam, post Hymnum primus Acolythus inchoat Antiphonam, et post Psalmos eamdem repetit; dictoque Capitulo ab Hebdomadario, Acolythi simul dicunt Responsorium breve et Versiculum, Choro repetente ac respondente.

178. Ad Vespertas servantur, quae de Laudibus n. 174 praescripta sunt. Primus Acolythus, quando dicitur Hymnus *Iste Confessor*, si mutandus sit tertius versiculus, advertat Chorum percutiendo dextera manu aut vertibulo Psalterium vel Breviarium, cum dictus Hymnus incooperit, ut omnes Chorales uniformiter illum dicant vel canant. Idem pariter fiet, quoties Hymni habent peculiarem conclusionem.

¹ Hic usus, ubi erit, tolerari potest.

179. Ad Completorium primus Acolythus (dato a Superiore signo) absolute incipit iunctis manibus: *Iube domne benedicere*, et responso ab Hebdomadario *Noctem quietam* etc. et a Choro *Amen*, erectus dicit: *Fratres sobrii estote* etc. Dicto *Alleluia* vel *Laus tibi Domine* post *Deus in adiutorium*, Acolythus primus subdit *Miserere* vel *Alleluia*; et primus Chorus inchoat Psalmum, quem Chorus uterque alternatim prosequitur de more.

180. Psalmis expletis, repetita integra Antiphona a Choralibus, Acolythi pronuntiant simul Responsorium breve, postquam Hebdomadarius Capitulum dixerit, et statim primus Acolythus Antiphonam *Salva nos* incipit, quae a Choro iteratur ex integro post *Nunc dimittis*.

181. His expletis, a legili ambo Acolythi recedunt, praemissis solitis inclinationibus.

182. Notandum, quod si Officium sit de simplici aut de Feria, Invitatorium, Versus et Responsoria brevia dicuntur a solo primo Acolytho, Antiphonae vero alternatim.

CAPUT II.

DE HORA PERSOLVENDI DIVINUM OFFICIUM.

183. Matutinum ordinario in Choro vel de nocte vel mane dicendum est: hora notata in tabula pro anticipatione Matutini sequentis diei valet tantum pro recitatione privata, non vero pro chorali. Excipiuntur